Quaestio de operatione intellectus coniuncti in ordine ad substantias separatas.

QVÆSTIO
DE
OPERATIONE
INTELLECTVS CONIVNCTI IN ORDINE AD SVBstantias separatas.

A


M. IOANNE IASKROWIC in Alma Academia Cracouien. publicè ad disputandum proposita prid. Calend. April. Anno. 1621.

Permissu M. D. Rectoris.

CRACOVIÆ,

Apud Heredes Iacobi Sibeneycher, Anno Domini. 1621.

INSIGNIA ACAD. CRACOVIEN.



Sceptra tenet Pallas. felix Reſpublica Lechi,
Quam Mens docta regit, Faſq; Themiſq; fouet.

Admodum Rn̄do & Magnifico Dn̄o
RECTORI.
Rn̄dis Patribus, Clarissimis omnium Facultatum DD. Doctoribus Prof. Almæ Vniuersitatis Cracouien.

M. IOANNES IASKROWIC S. & felicitatem P.

TAntum scientiarum lumen ab Inclyto Vestræ Sarmatiæ luminari in omnes Orbis partes protenditur, vt nullus locus existat, quó eius acutissimi radij non pertingāt, & lucem clarissimam afferant. Hæc lux vt primùm, multis oborta fuit, illico depulsâ ignorantiæ á mentis hominū oculis caligine, disiectisq; quorumuis errorum nebulis, hanc veram SOLIS MENSAM inuentu difficilem, omnibus demōstrauit. Ab hac infiniti Sapientiæ thesauri, & preciosi Virtutum lapilli deprompti felicissimè vbiq; fulserunt. Nunc verò quanta ingenijs alimenta, commoda Patriæ, Ornamenta Reip. suppeditet, non obscurum

cuiquam

cuiquam est. Lucet enim cum religione verâ, tum doctrinâ non fucatâ, nec vnquam hæretica prauitas, aut doctrinæ peruersitas eam subuertit. Stetit semper cum Cathedra Petri in fidei Orthodoxæ decretis, veritatem in ijs etiã, quæ à sensibus remotissima sunt, purè aspexit. Quibus ego adductus, vt aliquid de tanto splendore in meum vsum capere possim, in apertum Philosophiæ campum descẽdo, ingeniumq; ex lege institutoq; Academiæ monstro. Et in re quidem difficili nempe in Substantijs ab omni concretione materiali separatis, quæ quantum distent ab intellectu nostro, quis non videt? Sed inde solatium quia discere, non docere cupio; Vos mea lumina facite, vt nube difficultatum ab animo meo pulsâ, ingenioli mei contentio sereno Vestræ beneuolentiæ vultu recreetur.

QVAESTIO

QVÆSTIO

V. Intellectus corpori coniũctus à materia impediatur, quominus naturæ viribus ſeparatas Subſtantias cognoſcere poſsit; ac proinde hac ex parte deſiderium naturale ſciendi id, in quo vel maximè felicitas hominis conſiſtit, fruſtra in nobis ſit, necne?

CONCLVSIO I.

VNio animæ ad corpus seu materiam adeò non impedit cognitionem nostram, vt etiam adiuuet.

Corollaria.

1. *Forma haudpatitur suæ operationis dispendium ex vnione, quam habet ad propriam materiam.*
2. *Anima corpori coniungitur non tantum propter substãtiale bonũ totius; sed propter quandã quoq; accidentariam sui perfectionem consistentem in cognitione intellectiua naturæ suæ congruente, quamsensuum ministerio acquirit.*
3. *Naturalis hominis modus intelligendi est per species acquisitas.*
4. *Anima separata multis priuatur operationibus, quas habet corpori coniuncta: propter quod hic status est illi magis naturalis, quãuis alter non sit positiuè violentus, sed præternaturalis.*
5. *Forma intellectualis vt in esse; ita nec in operari simpliciter dependet à materiâ.*

CONCLVSIO II.

Intellectus humanus coniunctus lumine naturali cognoſcit Eſſe in Vniuerſo Subſtantias omnino immateriales.

Corollaria.

1. *Subſtantias omnes immateriales præter Primam non eſſe entia neceſſaria ſimpliciter, ſed per effectionem recipere eſſe, euidens eſt.*
2. *Eodem momento cum mundo corporeo vnius eiuſdemq́ Primæ Cauſæ operâ Intelligentias conſtitiſſe ordo partium Vniuerſi perſuadet.*
3. *Ratio ſumpta ex motu Cœli ducens in cognitionem ſeparatarum Subſtantiarum ſaltem probabilis eſt.*
4. *Intellectualis gradus in homine exiſtit ſecundum infimam rationem ſuam, & quaſi cõmiſtus inferioribus, ceu extraneis naturis.*
5. *Intelligentiæ ſunt Subſtãtiæ intellectuales per ſe ſubſiſtentes naturâ ſuâ hominibus præſtantiores.*

CON-

CONCLVSIO. III.

Intellectus humanus naturaliter cognoſcit quidditatem Subſtantitarum ſeparatarũ.

Corollaria.

1\. *Subſtantias ſeparatas conſtat eſse ſecundum totam ſuam ſubſtantiam intellectuales, immateriales, incorruptibiles; ac proinde neceſſarias, & ab intrinſeco immutabiles quoad ſubſtantiale eſse.*

2\. *Et ſi omnis intellectio ab aliqua ſpecie oriatur: non omnis tamen elicitur à ſpecie propriâ eius rei, quam intelligimus.*

3\. *Cognitio ſeparatarum Subſtantiarum etſi non proximè; remotè tamen à ſenſu petitur.*

4\. *In Subſtantijs ſeparatis etiamſi non ſit materia rationem partis ſubſtantialiter componentis ſubiens; eſt tamen in eis potentiæ permiſtio, per quam à puro actu ſegregantur.*

5\. *Compoſitio ex genere et differentia in Subſtantiis ſeparatis non ſupponit neceſſariò compoſitionem ex materiâ et formâ.*

CONCLVSIO. IV.

Desiderium naturale sciendi omnia sub ratione Entis comprehensa, in nobis frustra non est.

Corollaria.

1. *Unaquæque potentia naturaliter appetit suam perfectionem et maximè maximam.*
2. *Mentibus hominum insita est cupiditas inueniendi veri, et boni.*
3. *Intellectus corpori coniunctus etsi tenuissimum habet contuitum intelligendi perfectè et quid ditatiuè summa atque clarissima intelligibilia; ea tamen connaturali et sibi conformi ratione cognoscit.*
4. *Melius est parua de sublimibus causis balbutiendo sapere, et intelligere, quàm magna de rebus infimis disertè cognoscendo eloqui, et præuidere.*
5. *Frustra non dicitur esse id quod secundum ordinem, et modum naturæ sibi conuenientem exit in actum.*

CONCLVSIO. V.

Felicitas hominis in hoc vitæ ſtatu ſita eſt in contemplatione præcipuè Primæ Cauſæ, & aliarum etiam Subſtantiarum materiæ expertium.

Corollaria.

1. *Felicitatis definitio quæ eſt apud Ariſtotelem lib: 1. Ethic. cap: 7. vtrique felicitati tam practicæ, quàm ſpeculatiuæ conuenit.*

2. *Subſtantias ſeparatas præſertim verò Primam increatam in hoc vitæ ſtatu, naturæ viribus perfectiori modo poſſidere non valemus, quàm contemplatione.*

3. *Felicitas contemplatiua perfectior, et præſtantior eſt actiua.*

4. *Neque actiua, neque contemplatiua in hoc ſtatu appetitum hominis perfectè ſatiat: eſto illum aliquo modo expleat.*

3. *Licet eſſentia felicitatis ſpeculatiuæ in contemplatione dicta collocata ſit, neceſſariò tamẽ includit morum probitatem, et virtutum actiones.*

Sub felicibus auſpicijs Admodum Reuerendi & Magnifici Dñi IACOBI TVROBOYSKI de Turoboyce. S. Th. Licentiati, Eccleſiarum Collegiatarum SS. Omnium Præpoſiti, & S. Floriani Decani, Vniuerſitatis Cracou: Generalis

RECTORIS.